



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA. **CRUCIS LUTETIAE PARISIORUM** RITUS  
ARMENI EXARCATUS APOSTOLICUS IN GALLIAE FINIBUS  
POSITUS, AD DIGNITATEM EPARCHIAE, SEDI APOSTOLICAE IMMEDIATE  
SUBIECTAE EVEHITUR TITULO SANCTAE CRUCIS LUTETIAE PARISIORUM

In Petro Apostolorum Principe a Christo Domino universalis Dei populi regendi potestas fundata et Nobis tradita, Nos sollicitat ut ubicumque terrarum Ecclesiis consulamus cunctis ipsarumque incremento studiose provideamus. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Simon S.R.E. Cardinalis Lourdusamy Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus praefectus, audita quidem eadem Congregatione atque suffragante Nuntio Apostolico, precibus Venerabilis Fratris Ioannis Petri Kasparian Patriarchae Ciliciae Armenorum instantibus, proposuerit ut Exarcatus Apostolicus ritus Armeni in Gallia ad gradum Eparchiae eveheretur, Nos re perpensa, sententiis admotis accedentes, statuimus ut memoratus Exarcatus Apostolicus Eparchiae honore augeatur, Sedi Apostolicae immediate subiectae, titulo Sanctae Crucis Lutetiae Parisiorum pro Armenis appellandae, cum omnibus iuribus atque obligationibus quae ad hanc dignitatem condicionemque spectant. De hac re, occasione capta opportuna, clerus ac populus huius ritus certiores deinde fiant. Ceterum aucta re vera dignitate ac honore, speramus fore ut etiam fides atque fidelium sanctitas crescere possint. Quae per has Litteras statuimus firma sint nunc et in perpetuum.

Datum Romae, apud S. Petrum, die trigesimo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri ottavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

D. SIMON Card. LOURDUSAMY  
*Congr. pro Eccl. Orient. Praef.*

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 12, p. 1211

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana